



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 60. Aliæ Viennensis Concilii sanctiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

Sæcul. XIV. **A.C. 1312.** positis se suis submitterent rursus, atque cum cæteris in concordia & pace viverent. At Ubertinus Casalius ad Papæ genua provolutus clamabat, dicebatque se jussu ipsius delatum ad Romanam curiam, & ibi multa perpeffum metuere, ne pejus tractaretur, si traderetur Prepositis. Orare proin, ut sibi ac suis liceret separatim extra eorum jurisdictionem vivere regulæ secundum Concilii declarationem facilius observandæ gratia. Renuit Papa, & Ordinem divisum noluit. Parebant multi: multi vero se disjungebant variis in provinciis, maxime in Narbonensi agro; ubi primas tulerent, ita, ut cæteros Narbone ac Bli-tera pellerent ope populi, a quo nuncupabantur Spirituales. Ita Clementis V sanctio Fratrum Minorum schisma non finit.

S. LX.

Alia Viennensis Concilii sanctiones.

Clem. V. de Regul.

Concilium Viennense multa alia decreta fecit Religiosos contingentia. Fratribus Mendicantibus ad Ordines alios transeuntibus adimit jus suffragii ferendi in comitiis, eosque prioratibus, aliisque

liisque officiis, & animarum cura ex-
 cludit. Infirmat diploma a Benedicto
 XI editum in gratiam Fratrum Prædi-
 catorum Minorumque: ac renovat di-
 ploma Bonifacii VIII Episcopis & Paro-
 chis favens, quod Benedictus abroga-
 verat. Monachis nigris particulatim
 præscribit vivendi modum: prohibet
 luxum omnem in victu, vestibus ac equis,
 venationem, itinera ad aulas Principum,
 & conspirationes adversum Præpositos:
 commendat solitudinem, ac litterarum
 studia: sed nihil meminit de labore
 manuum: adeo in oblivionem venerat
 conditio vitæ monasticæ. Eadem præ-
 cepit Canonicis Regularibus. Constituit
 qui recognoscant cœnobîa Virginum,
 & multa ibi errata corrigant, quæ e-
 numerat. Nempe gestabant texta fe-
 rica, & villosas magni pretii pelles ve-
 stibus assutas; concinnabant sedulo co-
 mam, frequentabant choreas, & genia-
 lia hominum profanorum festa, per pla-
 teas etiam noctu ambulabant. Conci-
 lium jubet etiam lustrari foeminas, quæ
 se dicerent Canonicas seculares, & Ca-
 nonicorum more viverent. Quædam
 mulieres vulgo Beginæ dictæ, quia ea-
 rum vestitu utebantur, se perhibebant
 esse religiosas; sed nec spondebant obe-
 dientiam; nec bona abdicabant sua; nec

Sæcul. XIV.
 A. C. 1312

Sup l. 90.
 §. 22. 38.

Clem. Du-
 dum de se-
 pult
 Ne in agro
 1. de statu
 mon.

Attend. c.
 rod.

De relig.
 dom. c. 1.

LIBER

Sæcul. XIV. nec profitebantur regulam approbatam;
 A.C. 1212. & quibusdam Religiosis secundum pro-
 pensionem suam se addicebant. Nonnullæ etiam audebant disputare de SS. Triade ac natura divina, de capitibus fidei Christianæ, de Sacramentis; & introducebant errores. Concilium damnat statum earum, prohibens, ne ibi maneant; ne alias eo recipiant; nequis Religiosus eas inibi tuebatur. Non tamen obstat, quo minus mulieres, quæ vellent pœnitentiæ operam dare, in domibus hæreant suis, & animi demissionem ibi, cæterasque virtutes exerceant. Beginarum nomen venerat a piis fœminis Leodiensibus, quas Lambertus Begius annis abhinc centum quinquaginta congregaverat. Aliquæ id nomen reddiderant odiosum labendo in fanaticos errores Evangelii æterni. At pleræque intra limites institutionis primæ permanferant velut illæ, quæ in Belgio adhuc existunt. Ita hoc decretum intelligo.

Sup. li. 72.
 §. 52.

Aliud quoque pro domibus hospitalibus ac celebre quidem decretum fecit, cujus hæc est summa: Interdum accidit, ut illi, qui domibus præstant hospitalibus, bona earum & jura negligant, injustorumque possessorum manibus

Clem. Quia
 contig. 2.
 de relig.
 dom.

bus non eripiant; ædificia corruere pa-
 tiantur, horumque pietatis locorum re-
 ditus in rem suam vertant; pauperes
 ac lepra infectos illuc recipere alereque
 inhumaniter renuant, nec Conditorum
 mentem considerent. Idcirco volumus,
 ut ii, ad quos per institutionem, vel alio
 nomine pertinet, cuncta hæc vitia cor-
 rigan: alioqui nos Episcopis locorum
 præcipimus, ut omnia juris remedia
 his malis adhibeant. Quo melius id
 observetur, nullus horum pietatis loco-
 rum, nisi per institutionem ita præscri-
 ptum sit, titulo beneficii cuiquam Cleri-
 co seculari conferatur: alioquin colla-
 tio seu provisio erit nulla: sed horum
 locorum regimen committatur pruden-
 tibus, idoneis, ac famæ bonæ viris: qui
 exemplo tutorum curatorumque tene-
 buntur juramento fidem suam obstringe-
 re, bonorum indicem conficere, & quo-
 libet anno propriis locorum Episcopis,
 aut horum Procuratoribus rationem red-
 dere. Nolumus autem hoc extendere
 ad hospitalales domos Ordinum milita-
 rium, cæterorumque Religiosorum. Ec-
 ce originem administratorum laicorum,
 quibus concredita sunt bona domorum
 hospitalium in dedecus Cleri: primis
 enim seculis nemini securius quam Sa-
 cerdotibus & Diaconis committi posse
 credebantur.

Sæcul. XIV.
 A. C. 1313.

Con-

Saecul. XIV.

A.C. 1312.

Concilium Viennense de privilegiis Regularium, aliorumque exemptorum duas condidit sanctiones; ea contra Præsules tuendi causa alteram; alteram eorundem abusus inhibendi gratia. Prior continet privilegiis donatorum querelas ad triginta, quarum præcipuas vide! Quidam Præsules, aiebant illi, nos comprehensos carceribus mandant. Impediunt, ne nobis solvantur decimæ ac reliqui proventus nostri. Censuris sacris feriunt nobis subjectos, nostros domesticos, eosque, qui aliquod commercium nobiscum habent, nostris in pistrinis molunt, in furnis nostris coquunt. Nihil tribuunt nostris appellationibus has ob injurias interpositis: & interdum capimur carceribusque addicimur provocantes. Non patiuntur in lucem proferri aut executioni dari sententias illorum, quibus eas delegavit Summa Sedes, aut qui privilegia nostra conservant. Nonnulli arma & infesta signa in nos inferunt, ut nostras destruant molas, vel alia ædificia, quorum possessionem tenemus omni hominum memoria antiquiorem. Sæpe permittunt, ut viri nobiles sui clientes fiduciarii, & Judices profani bona nostra seu moveri hæc possint seu nequeant, per vim occupent, aliisque modis nos exagitent. Beneficia

Clem. Fre-
guens de ex-
ces. Prælat.

ficiorum vacantium fructus primo anno Sæcul. XIV.
 suos esse perhibent; & hoc obtentu illo- A. C. 1312.
 rum pecora & argentea vasa diripiunt.
 Iſtas ad querimonias Concilium ſatis
 habet imperare, ut Præſules cauſas illa-
 rum tollant; ac prohibet, ne Religioſos
 ab adeundis ipſorum comitiis generali-
 bus aut provincialibus impediant: ſed
 poenam ſtatuit nullam.

Sanctio poſterior ſub anathematis Clem. Reſt.
 poena ipſo facto ſubeunda vetat, ne Re- gioli. de pri-
 ligioſi dent unctioem extremam, Eu- vil.
 chariſtiam, vel benedictionem nuptialem
 ſine peculiari Parochi permiſſu, neu ab-
 ſolvant proſcriptos, præterquam in caſi-
 bus Juris. Interdicit, ne Præſulum ſa-
 mam lædant; ne laicos a frequentandis
 ipſorum templis parochialibus, vel teſta-
 tores a legato aut reſtitutione templis
 matricibus faciendâ avocent; ne alias
 quaſdam culpas in decreto expreſſas
 contrahant. Aliud edictum inhibet, ne Clem. Eos.
 proſcriptos unquam, vel alios tempore qui de ſepul.
 interdicti ſuis in cœmeteriis ſepeliant; Clem. un. de
 & ruruſ aliuſ mandat, ut de commiſſa Teſtam.
 ſibi executione teſtamentorum propriis
 locorum Epiſcopis rationem reddant.

Sequebantur decreta Clericorum Clem. Dic-
 mores ac vitam contingentiâ. Prohi- tes. de vita
Et honeſt.
Hift. Eccleſ. Tom. XXII. B b b betur

Secul. XIV. betur, ne Clerici, etiam connubio ligati
A. G. 1312. lanios vel caupones agant, alioquin Cler-

c. 2. cod. ricatus privilegium amissuri; nequod
 commercium suo statui non conveniens

c. 2. cod. exerceant; ne gerant arma; ne in pu-
 blico compareant induti vestibus linea-

c. 2. cod. tis, vel duos in colores æqualiter divis-

c. 2. cod. aut palliis tam curtis, ut toga notabili-
 ter subtus appareat; aut femoralibus

c. 2. cod. incisis, rubro vel viridi colore infectis.

c. 3. de at. & qual. Permittitur, ut Hypodiaconus anno æ-

c. 2. cod. tatis decimo octavo, Diaconus vigesimo,
 Sacerdos vigesimo quinto initietur. San-

c. 2. cod. citur, ut ne suffragii ferendi jure in se-

c. 2. cod. natu sacro gaudeat Canonicus, qui non
 sit saltem Hypodiaconus, aut qui non

Clem. un. de immun. curet se intra unius anni spatium pro-

Clem. un. de immun. moveri ad Ordinem cum beneficio suo
 congruentem. Quod attinet ad immu-

Clem. un. de immun. nitatem Clericorum, Concilium retexit
 celebre Bonifacii VIII diploma: Clericis

Clem. un. de immun. laicos, & hujus declarationes, eaque om-

Sup. lib. 89. nia, quæ hinc evenerant.

S. 43. 51. Viennense Concilium instaurat fe-

Clem. Si Dom. de reliq. stum Augustissimi Sacramenti quadra-

Sup. l. 85. ginta octo abhinc annis institutum a Bo-

S. 27. pa Urbano IV, cujus diploma executioni
 mandatum non fuerat. Papa Clemens

S. 27. id confirmat, totumque refert; nec ad-

S. 27. dit quidpiam: sed nec mentionem facit

S. 27. nullam

CLEM. V. P. HENR. VII. OC. AND. II. OR. IMP. 755

ullam de habenda supplicatione publica, ^{Sæcul. XIV.}
 vel de SS. Eucharistia omnium cultui ^{A. D. 1312.}
 exponenda. ^{id. Scribitur p. 80. in Regum.}

Quo facilius ethnici adungerentur
 Christo, Concilium decrevit introducere
 studium linguarum Orientis, quod Ray-^{Sup. lib. 89.}
 mundus Lullus a tanto tempore flagita-^{S. D.}
 bat. Statutum proin est, ut in Roma-^{Mem. Inter.}
 na curia, & in Universitatibus Lutetiae, ^{de Magist.}
 Oxonii, Bononiae ac Salamanticae con-
 stituerentur sex Magistri, quorum duo
 linguam Hebraicam, duo Arabicam, &
 totidem Chaldaicam docerent, & quos
 stipendiis afficerent alerentque in Roma-
 na curia Papa, Parisiis & Oxonii Re-
 ges Franciæ Angliæque, ac in reliquis
 urbibus Præsules, cœnobîa & collegia
 regionis.

Sperabatur semper terræ sacrae re-^{Ragn. n. 22.}
 cuperatio: & occupata per Hospitala-
 rios Equites Rhodus aditum illuc muni-
 re videbatur. Henricus Romanorum,
 Philippus Gallia, Ludovicus Navarrae,
 Eduardus Angliæ Reges spondebant se
 facturos iter transmarinum. Quapro-
 pter Viennense Concilium sanxit expedi-
 tionem sacram & transitum generalem,
 ad quem se voti religione adstrinxerunt
 Reges Franciæ, Angliæ, ac Navar-
 ræ

Sæcul. XIV. ræ cum multis Principibus aliis & Vi-
A.C. 1312. ris illustribus. Pro sumptibus belli hu-
jus Concilium decrevit collectionem de-

**Clam. Si be-
nefic. de de-
cim.**

**Baluz. to. I.
p. 46.**

cimæ in sexennium: ac hæc probabiliter
fuit occasio edicti, quo Concilium ve-
tuit, ne severe nimis exigerentur deci-
mæ, auferenturque calices, libri, & or-
namenta templorum. Concilium Vien-
nense solutum est post tertiam sessionem
habitam die sabbati intra octavam A-
scensionis Domini sexta Maji dicata
S. Joanni ante Portam Latinam
anno 1312.

FINIS TOMI XXII



INDEX